[illegible] Lemellul [illegible]

[illegible]

nere attendi[illegible]

Mutine Regis Romanorum [illegible]

[illegible]

[illegible] pastras [illegible]


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
257
11 A
3
ROMA



PAVLI PARADISI VENETI,

Hæbraicarum literarum Regii interpretis, de modo legendi hæbraice, dialogus.



IOANNES A FRAXINO CANDIDO LECTORI S.

EN tibi candide lector Paulus Paradisus fœlici auspicio in lucem edidit opusculum, in quo Hebraicè legendi rationem tam familiariter ac diluadè tradidit, (qui gradus ad altiora conscendere uolenti primus ponendus est) ut uel mediocri ingenio præditus adolescens citra omnem præceptoris operam quæcunque ad lectionem pertinent, intellectu assequi possit. Quoniam autē Hebraicarum disciplinarun rudibus tantum, non etiam peritis illius labor desudauit, rei orationem accommodans, sub forma dialogi rem totam exposuit. Hoc scilicet (ut credi par est) consilio ac ratione adductus, quo lepidis acutisq; sententijs, sermonisq; uarietate, ac personarum loquentium tum rogandi, tum respondendi alternitate iucunda lectori tædium discuteret. Sic enim conuenientius res ac decentius tractari debere uidetur, cuius non est omnino sublime argumentum, quàm si perpetuo quodam orationis tenore, & continuo (ut ita dicam) narrationis filo deduceretur, quæ rudē adhuc, & imperitū lectorem tantū abest ut delectet, ut lectionis prolixitate defessus frequenter intersistat, subinde respiciens, quantum iam spatiun confecerit, quantùmque conficiendum supersit. Hanc igitur candide lector æquo animo accipe Paradisi tui fœturam, ab eo haud dubie maiora accepturus, si te industriȩ suȩ gratum ac benignum æstimatorē fuisse cognouerit. Vale, & fruere.

ILLVTRISSIMAE MARGARITÆ Nauarræ Reginæ Christianissimi Gallorũ Regis sorori Paulus Paradisus Venetus Hæbraicę linguæ Regius interpres S.D.P.

Regina æthereas inter numeranda cohortes.
Quæ malus quouis nomine nomen habes.
Dirige quæso meæ titubantia uela carinæ:
Et mihi scyllęis sis modo portus aquis.
Sola potes Regina mihi præstare fauorem.
Nam spes auxilio statq;,caditq; tuo.
Hoc opus exiguum,magnisq; paratibus impar
Postulat,ut placida mente fauere uelis.
Officium paruis magni est succurrere rebus,
Sume igitur timido quas damus ore preces.
Quæso faue,nec me peregrinum,& rebus egentem
Desere,quin potius mitte patrocinium.
Hęc mea confiteor frontis non esse seueræ
Scripta,nec à tanta principe digna legi.
Sed tua me uirtus totum cantata per orbem
Impulit,& promptas fecit habere manus.
Hunc tibi deuotum ne dedignere libellum.
Sæpe humili crescit tonsilis herba loco.
Quo magis exiguũ est opus,hoc tibi sarcina maior
Fiet ut hac possim nobilitate frui.
Est hæbræa tibi charissima lingua,iuuamen
Da precor,& nostræ surrige uela ratis.
Maius opus gallas duce te prodibit inauras.
Fac queat hoc cunctis tutius esse locis.
Ipse ego conabor manibus, pedibusq; fauorem
Tollere,& officij debitor huius ero.

PAVLI PARADISI VENETI,

HÆBRAICARVM LITERARVM

Regij interpretis, de modo legendi hæbraicè, dialogus. Interlocutores *Martialis Goueanus,* Matthæus *Budæi filius.*

Martialis.



IHIL *eſt nimirum mi matthæe, quod hoc tempore malim, quam ex Paradiſo præceptore noſtro nuper audita recordari:* Vbi *de lingua ſancta diſſerebat, atq; paucis artem in compendium redigebat* Math. *Multa ſanè pulchra, atq; commoda huiuſce linguæ ſtudioſis protulit, quę nunc lubens tecum ad recentem memoriam reuocarem.* Mart. *Dic igitur quę ſo(ſi modo memor es) cur ſanctam eam nonnulli appellare ſoleant.* Math. *Dixiſſe eum opinor huiuſce linguæ multa extare ſcripta, quæ ſacro ſancta dubio procul habentur, nempe* Moſaicam *legem, prophetas, euangelium* Math. *(quod paucas abhinc diebus* Paradiſus *noſter et propter uetuſtatem nimiam, &* Iudæorum *iniuriâ iam multis antè ſeculis deperditum ſuæ genti, ac antiquitati priſtinę reſtituere conatur) compluraq́; alia, quę non eſt nunc memorandi locus.* Mart. *Atqui omittis rationem aliam, qua ſancta dicatur, nempe quod* Chriſtus *unctio noſtra hac lingua uſus fuiſſe perhibeatur.* Mat. *Excidit quoque mihi memoria, cur eadem ſit & hæbræa dicta, arbitraris'ne ab* Abrahã *uetere illo patriarcha* אַבְרָהָם

nomenclatura retinuisse? Mart. Minime tota enim, quod aiunt, uia errare, & prorsus ortographiam ignorare uidentur huius dictionis עִבְרִי hæbræa qui talem huius appellationis adferunt rationem. Scribitur enim per ע literam, אַבְרָהָם Abraham uero א. Mattheus. Quin tu igitur expedis, & ipsam rem statim quasi acu attingis? Mart. Ab עֵבֶר heber nimirum nepote Noë nomē habet. Matth. Ita utiq; rem habere facile crediderim. Sed his omissis, quæ nihil ad artem legendi quicquam conducunt, primum ea repetamus quæ de lectionis ratione audiuimus. Quæ profecto ut res ardua est, sic haud scio num etiam maxime necessaria omnium, quæ sunt in lingua sancta. Mart. Latinos igitur ille dicebat ordine, graduq; præpostero: hæbræos autem solos directo legere, ac scribere, quod ipsi uidelicet à dextra incipientes, ad læuam progrediantur, quòd ipsum, inquit, est recte incedere astrorum more, quę ab occidente quæ mundi dextera pars est orientem uersus proprio & naturali motu feruntur. Mat. Hoc mihi admodum placet, ac probatur, sed quot nam habent caracteres siue figuras? Mart. uiginti septem quidem habent figuras, sed uiginti duo tantum sunt literarum nomina. Mat. Quinq; autem reliquæ figuræ ad quid seruiunt? Mar. Sunt quinque literæ, quę aliter figurantur si sint in fine dictionis quàm si fuerint in principio, siue in medio. appellationem tamen retinent etiam in fine dictionis. Matth. At quonam nomine appellantur hę quinque literæ quando sunt in fine dictionis, & mutata figura? Mart. Finales, et duplices. Matth. Cur finales eqd?

dem ſcio, nempe quod in fine. Sed quamobrem duplices dicantur penitus ignoro. Mart. *Quia duplicibus figuris depinguntur quinq; hę literæ nempe in principio aut in medio dictionis, ſic,* כ *caph.* מ *mē* .נ *nū,* פ *; pe,* צ *. tſade In fine uerò, ſic* ץ ף ן ם ך Mat. *Probe hæc intel ligo: ſed ut poſſimus memoria noſtra retinere quinque illas literas, quas duplices uocat, nōne eas dixit cōtineri in aliquo* Symbolo, *ſiue uocabulo artis?* Mart. *Hoc dixit* מְנַצְפַּךְ *mācepach.* Mat. *Eſt ne lingua* Hæbrea *muta, quę uocalibus careat, cum literas dixerit omnes eſſe conſonantes?* Mart. *Tres ſunt literæ, quæ in hac dictione artis continentur* אֱוִי Eui, *quę nonnunq̃ ſunt uo cales, & aliquando conſo nantes. Cæterum utuntur apicibus quibuſdam, punctis ſcilicet & lineis uice uocaliū.* Mat. *Quonammodo dicis tres eſſe literas uocales & conſonantes? Eſt ne eadem ratio* Hębraicarū *uocalium, quę eſt uocalium i & u,* Latinarum? *puta in dictione* Iupiter, Iuno, Veni, *uidi, uici.* Mar. *Eſt proſus. uocalis enim in conſonantem, ſi præcedat uocalē, uertitur.* Mat. Hæc *iam intelligo.* Sed *uideor mihi audiuiſſe aliam lite rarum diuiſionem.* Mar. *Imò uero duas alias literarum diuiſiones audiuimus: quarum alteram ut probè memoria teneo, ſic alterius neſcio quomodo mihi obrepſit obli uio.* Mat. *Dic quæſo eam partem, quam memoria tenes.* Interea *forte potero te alterius partis memorē facere.* Mar. *In uocales tres, inquam, quæ continentur in hoc ſymbolo* אֱוִי Eui. *Itemq; in ſeptem duplices, quę comprehendū tur duabus his dictionibus artis* בְּגַד בְּפַרְת *begad, caphrath.* Et *in.* 12 *. ſimplices.* Mat.

De uocalibus literis iam locuti sumus, at duplices ignoro, Cur ita? Mar. Duplices hę literę uoces habent pro punctorum uarietate. Mat. Dic apertius. quid ita? Mar. Si sex illę literę notatę fuerint paruo quodam puncto, tum earum lectio tenuis erit: sin uero uirgula quadā recta, tum remissius proferūtur. Mat. Vbi nam quęso collocatur illud punctum, atq; illa uirgula? Mar. Punctū illud sanè quod literas illas extenuat perpetuo mediū literę, aut si mauis centrū occupat. Linea uerò, quæ sonū literę remittit capiti literę insidet. Mat. Dages opinor pūctū illud uocabat: atq; uirgulā illā raphe appellabat: At nescio an oēs literę huius pūcti, quod dages appellant, capaces sint. Mar. Sanè oēs capaces esse dixit, quatuor his exceptis, quas paulo post gutturales uocauit: ac nōnulli adijciunt Res literā. Quāq; litera א *aleph, quater in sacris biblijs cū dages inueniri ipse annotauit Deut. cap. 12. Iob. 33. et bis ī Esra. 18. Literā uero Res itidē inueniri cū dages Ezech. 17. Samuel. 1. Cātic. 5. Et prouerb. 3. Cur autē illud punctum dages tam frequens lectori inter legendum occurrat, quum nihil lectioni addere uideatur, admodum demiror. Matth. Nihil ais adminiculi lectioni adferre, atq; otiosum illud esse narras? Falleris nimirum, haud enim minus lectioni necessariū esse uidetur, quàm centrum circumferentiæ. Mart. Ostende igitur quidnam muneris habet in lectione. Matth. Tātum habet punctulum hoc energiæ in oratione, quātum quidem ex illius uerbis intelligere potui, ut nisi mecum in hanc rem pari studio incūbas, uix audeā polliceri ea me recitare posse, quæ de hoc punctulo ab eodē præceptore decursa sunt,*

quin maiorem partem omittam.Mart. Aggredere mo-do.neq; enim committam ut te quo possim non iuuē au-xilio,præsertim cum rei utilitas ex æquo ad utrunq; no strum dimanare uideatur.Mat.Primum igitur extenuat literam,nonnunq̄ & eandem spiratam reddit,lectionem ornat,& eam ab alijs coniugationem distinguit, quam pihel hadaghus uocant hæbræi:præterea defectū literę supplet.Mart.Prætermittis quod idem etiam sequatur ה *articulum & uau conuersiuum.Mat.Nec inuenitur unq̄ post uocalem lōgam,nisi accentus fuerit collocatus, ut hic* יָמָּה *Mart.Si quid sit omissum quod de hoc pū cto di gnum sit dictu, post hac dicemus.Interea experiar dicere quæ de uirgula,quam raphe appellant. retinui.Mat.Obsecro ut dicas,nam nihil mihi iucundius esse potest,q̄ earum mihi rerum memoriam refricari,quę hisce de rebus fuerunt à præceptore dicta.Cæterum oc cupat'ne omnes literas hæc uirgula,sicut dages pūctum necne?Mar.Nequaq̄ sed sex tātummodo duplices,quas contineri supra diximus in duabus his dictionibus artis* בְּגַד כְּפַת *begad,cephath,Math.Semper'ne eas habēre illam uirgulam dicis,an non?Mart.Nequaq̄. Mat.Quando igitur?Mart.Vt melius intelligas prestat quæ audiuimus aliquanto altius repetere.Matth.Age-dum mi Martialis:lubens enim te audiero his de rebus differentem.Mart.Sex igitur hę literę* בגד כפת *semp horum alterutrum habent uel punctum dages,uel uirgu lam raphe.dages quidem in uentre sic.* בּגּדּ כּפּתּ. *Ra phe autem in capite sic* בֿגֿדֿ כֿפֿתֿ. *Mar.Quid si neu trum habeant?ut uidi in ijs, qui Venetijs excuduntur,*

libris? Mar. Alterũ intelligitur. Mat. Quodnam raphe'ne uirgula an dages punctum? Mart. Raphe sanè quanuis non scribatur. Mat. Quando uerò sex illæ literæ puncto dages significatur, quonam pacto sint legendæ? Mar. Sic בּ, per b גּ per g דּ per d כּ, per c פּ per p תּ, per t. Mat. Cum uirgula autem raphe uix scio quomodo legendę sint, Mart. sic בֿ per u. גֿ per gh. דֿ per ẓ. כֿ, per ch. פֿ, per ph. תֿ, per th. Tres enim literæ pũctatæ ד ג ב tribus his medijs Græcorum mutis, β, γ, δ, correspondere mihi uidentur. Mat. Reuera ita res habet. Mar. Tres autem reliquæ punctatæ תּ פּ כּ tribus Græcas tenuibus, π, κ, τ, æquiualent. Mat. Quàm uelim te ad hunc modo inuenire posse tres quoq; aspiratas, quæ Græcas aspiratis affines essent: ut uterq; nostrum qui et græcè utcunq; nouimus Hæbraicas mutas tenaciori memoria comprehenderemus. Mar. En habes tres linitas, quas raphatas nuncupari diximus, nempe תֿ פֿ כֿ quæ omnino trium aspiratarum grecarum φ, χ, θ, uim, ac potestatem sortiuntur. Mat. Oẽm posthac operam meam dabo ut græcis hæbręa coniungam quo facilius utranque linguam retinere possim. Mar. Pollicor me omni studio & diligentia tibi ad futurum, ut citius, quod nunc in animo habes perficere ualeas. Mat. Sed iam aggredi amur nostræ diuisionis partem tertiã, quæ 12. has simplices continet ת, ר, ז, ה, ו, ט, ל, מ, נ, ס, ע, צ, ק, שׁ Sáisne qua de causa sic appellentur? Mat. Quidni res est adeo clara & aperta, ut tibi ad hoc rogatum erubescá respondere. Mar. Nihil est tam leue atq; exiguũ in lingua sancta, quod non mysterij plurimum in se habere uidea

*tur.*Nisi *forte ignoras illud Christi seruatoris nostri di ctum.*Non *præteribit iota unum(quæ litera est oïum minima)neq; apex unus à lege, donec oïa fiant.* Ne *igitur te pudeat roganti mihi respondere, cur simplices illas appellet.*Mat.Quia *simpliciter proferuntur, ac unico tantum modo leguntur: non, quemadmodum sex duplices, quæ pro apicum uarietate, uarios habent sonos: ut iam amplissimè disseruimus.* Mar. Quænam *sunt illæ duodecim simplices?*Mat. Reliquæ *omnes præter tres has literas materiales, seu uocales* אוי *& septem has duplices* בגד כפרת *simplices dicunt.*Mar.De *pingemus iam omnes characteres ordine distinctos, quibus nomina uniuscuiusq; figuræ etiam subiungemus & latinam literam eiusdem potestatis.*Mat.Hoc *ego ma xime optabam, propterea quòd in multis hæsitem, præsertim in cognoscendis literis.*Nam *parum est discriminis inter* ב *beth, &* כ *caph.*Inter ד *daleth, &* ר *res.*Inter ה *he, &* ח *cheth. inter uau* ו *& zagin* ז*, & inter mem finale* ם *et samech* ס. *inter zagin* ז*, & nun finale* ן. Inter ת *tau, &* ח Cheth. *Quæ uellem omnia ex pictura tua discerni.*Mat.N*ostine pictorem illum egregium, qui frequens est cum præceptore nostro?*Mat.Nicolaū R*osam fortè dicis.* Mart. *Istum ipsum.*Mat.*quid narras de pictore illo?*Nouit *ne ille quoque hæbraicæ?*Mart. Vide *quàm graphicè depingit Caracteres hæbreos* אבגדהוזחט
יכךלמםנןסעפףצץקרשת
*Mat.Qui hæbraicè didicit?*Mart.N*escis eos dicta'bari, qui in pistrino uersantur?*Mat.Prima *hæc litera* א

aleph, quid sonat? à ne, an o? Mart. *Seorsum scriptum nihil, si modo memineris eorum, quæ de literis monuit præceptor.* Mat. *Quidnam monuit?* Mart. *Literas omnes esse consonantes.* Math. *Hinc igitur colligis aleph per se nihil sonare, haud secus quàm b, c, d, sine uocalibus. Quomodo igitur legendum Aleph? an cum alia litera?* Martialis. *Non, sed cum apicibus, punctis scilicet, & lineis.* Matthæus. *Præsta quæso te huius rei documentum.* Martialis. *Vides'ne hanc literam?* א *Si lineam habuerit rectam subscriptam hoc modo* אַ *legendum erit a: si uero unicum punctum subscribatur* אִ *legetur per i.* Et *sic pro uarietate punctorum, & linearum legentur literæ.* Matthæus. *Est'ne eadem ratio reliquarum literarum? puta* Beth, *cum linea* בַ *ba. Gimel cum linea* גַ *ga: pariter cum puncto subscripto* בִ *bi, &* גִ *gi.* Mart. *Est. Sed quod discrimen putas esse inter* א *Aleph, &* ע *hagin?* Matthæus. *Nullum opinor aliud esse discrimen, nisi quod* ע *hagin in profundiore gutturis parte pronuntiatur.* Nam *diuus* Hieronymus *ubi uoluit difficultatem huius pronunciandæ literæ exprimere, per g. latinum, uertit.* Martialis. *Quibusnam in locis?* Matthęus *Vbi habetur Sadoma & Homorra* סְדוֹם וַעֲמֹרָה *per hagin literam, ipse uertit per gomorra.* Ac *mensuram, quàm hębræi* עֹמֶר *homer uocant, per hagin* ע *literã,* Hieronymus *uertit gomer.* Talem *dicebat præceptor pronunciationem habere hispanos.* Ego *semel & iterum lectionibus illius regij professoris interfui, qui*

hanc literarum ע*, adeo religiose pronunciabat.* Mart. *Cuius'ne ais?(nam duo sunt & alij hæbraicorum regij interpretes præter præceptorē)* Agathii'ne: an Vatabli? Math. *Agatij sanè, qui mihi in hoc* Iudæorum *accuratā nimium pronuntiationem affectare uidetur.* Mar. *Imò uero* Arabum *potius. Sed hæbræi qui nostra tempestate in* Italia & Germania *degunt, non ita curiose pronunciant: denique qui ortographiam nouerint, nunquam de* א Aleph, & ע *hagin, dubitabunt.* Mat. *Idem est discrimē inter he* ה *literarum, &* ח *Cheth, quod est inter* Aleph א, & *hagin* ע, Mart. *Quonam pacto?* Matth. ח *Cheth aspiratius est, quàm he.* ה Mart. *Existimo hæbręos quoque duplicem spiritum habere signatum græco more, lenem, & asperum.* Matth. *Proculdubio* ה *litera, utuntur pro spiritu leni.* Mart. *Vt nos quoque.* H. *aspiratam uocalem notare consueuimus, quod germani.* Ha. *quasi he, appellant.* Matth. *Tu rem tenes. Nā pro spiritu denso* ח*, cheth scribunt.* Mart. *Nos, qui altero spiritu caremus, qui exprimere possimus hanc literam cheth?* Matth. Hieronymus, *et cæteri interpretes* Latini *per ch, hanc literam* ח*, exprimunt.* Mart. Hieronymus *forte imitatus est Gręcos interpretes, qui per x illud uertunt.* Matth. *At cur per x Græca illud legere malunt, quàm per spiritum densum, non intelligo.* Mart. *Ego te paucis liberabo ab hoc dubio. Hæc enim litera frequenter est in fine dictionis, ubi nonnunquam apice caret: ut etiā sine apice legatur, quod alioqui non legeretur, uerterunt per x.* Matth. *Iam capio mentem tuam. Sed memini me aliquando legere in quodam libello mysticas omnium lite*

rarum interpretationes, sed nihil facere uidebantur peni tus ad intellectum grammaticæ. Mart. *Si uelis mi* Mat *thæe ea scire, legas* Caballystas. Matth. Quos *uocas* Ca *ballystas? Sun'tne aliqui hębraicæ linguę authores bal stary?* Mart. *Pręceptor noster eos, qui magiam diuinam profiterentur, sic ab* Hębręis *appellari dicebat.* Hi *nomi= na literarum, & numeros, atq; punctorum numerum re ligiose obseruant.* Matth. Tu *de hæbraicis authoribus nunc loqueris, at id, quod me legisse dixi, latino sermone descriptum erat.* Mart. Scio *te epistolam* Hieronymi *ad* Paulum *urbicam, ubi literarum nomina interpretatur, le gisse.* Mat. *Minime* Mar. In Reuchlinum *igitur incidi= sti de arte* Caballysticæ. Matt. *Nequaquam.* Mar. Ne= *mo alius nostra tempestate scripsit de litererum inter= pretatione, pręter hos, quos tibi iam recensebo.* Matth. Recense *igitur cito, atq; expedi.* Mart. Vnus *est* Franci *scus* Georgius Patricius Venetus *uir nobilissimus, atq; religiosissimus: qui in sua harmonia mundi, literarum no mina exponit.* Alter *est* Galatinus, *in eo libro, quem cō= tra* Iudęos *inscripsit, amplissimè de literis disceptauit.* Tertius *ac postremus* Cheradamus *noster, uir sanè no bilis, in libello, quem* Alphabetum *mysticum appellat, scriptores omnes ueteres utriusque linguę peritos in eo scribendi genere adęquauit.* Matthæus. Ais'*ne* Græcos *etiam tractasse* Cabalysticæ? Martialis. Inter Græcos *philosophos* Caballystam, *pręter* Platonem, *scio nemi= nem.* Matth. Vndenam *deprehendis* Platonem Cabally *stam esse?* Mart. Ex *dialogo, quem* Cratylum *uocat, siue de recta nominum interpretatione.* Vbi *non solum deo=*

rum nomina interpretatur, sed etiam omnium uirorum, eorum quorum memoriam facit Homerus *in* Iliade *&* Odyssea. Matth. *Tu nunc adeo multa de arte* Caballisti*ca prolocutus es, ut iam penè eorum sim oblitus, quæ ad propositum nostrum faciant.* Mar. *Linquamus nunc igitur* Caballistarum *commentationes, et omnes alphabeti partes sigillatim, & ad unguem distinguamus.* Mat. *Quot sunt igitur partes literarum?* Mart. Tres *dicebat unamquanque literam habere partes.* Matthæus. *Quas? nunquid litera dissecari, aut diuidi potest in diuersas partes?* Martialis. Nugaris. *Ignorâ sine nullam scribi posse literam, quin aliquam figuram habeat? Vides'ne figuram huius literæ?* א. Matth. *Video quidem aleph literā.* Martialis. *En habes duas partes, & figuram, et nomen.* Matthæus. *Figuram cerno literæ, & nomen iam dixi figurę esse aleph.* Perge *modo, ut tertiam partem doceas.* Mar. *Vim, atque energiam ipsius literæ, totum id simul, potestatem literæ nominabat: uerbi gratia. aleph litera habet potestatem omnium uocalium, prout signatur puncto, siue linea.* Matth. *Fac ut hoc uideam aliquo exemplo.* Mar. *Animaduerte* אַ *cum linea tenui subscriptum.* Matth. *Quid hoc ualet?* Mar. *Valet a, latinum.* Rursus אֶ *cum tribus punctis, ua'et e.* Eadem *ratione admittit* ִ *omnes uocales.* Mat. *Nūc potero hoc in omnibus literis pręstare, quod tu tantum in aleph* א, *litera pręstitisti.* Mar. *Mihi sanè rem gratissimam feceris, si hoc prestiteris.* Math. *Intende animum, ut unà mecum cognoscas.* Mar. *Sum promptus.* Matth. *Secunda litera, quæ beth uocatur, ualet b, latinum: figuratur autē sic.* ב, &

betnd

labialis appellatur, quia labijs pronunciatur. Mart. Vale ne perpetuo b, latinum? Matth. Nó, sed obserua, si habet punctum quod dages dicitur, in utero בּ, tum scias esse b latinum. Sin autem habeat lineam in capite sic בֿ, túc respondet β græco, siue u consonanti latino. Mart. Quid si neutrum habeat? sic ב. Matth. uirgula raphe subintelligitur, æquiualet que u, consonanti nostro. Tertia litera gimel, nuncupatur, ualet autem g, nostrum, figuratur autem sic ג, & est litera palatina, quia palato pronunciatur. Mart. Dicis'ne ijmel, an gimel? Matth. Rectius pronunciatur per γ, grecum, quàm per g. latinum. Mart. Post hac distingue etiam literam, si punctum habeat, aut lineam in capite. Matth Faciam, ut nihil desideres amplius. Adhibe mentem: pergo enim dicere. Martialis. Adhibeo, perge. Matth. Gimel, si punctum habuerit uterinum sic גּ ualet γ, græcum, sin uirgulam capitalem sic גֿ, gh. Quarta litera daleth uocatur. Cum puncto enim dages sic דּ, idem est quod d Romanum, cum raphe uerò sic דֿ, ualet χ, sed ea pronunciatio non est uulgaris. Iudæi enim, qui Gallias incolunt, ita pronunciare solent. Quinta litera est he, ualet idem, quod h, latinum. Describitur uerò sic ה, atq; gutture pronunciatur. Ideo gutturalis appellatur, neq; punctum dages admittit unquam. Mart. Quare non admittit? Matth. Quia literæ oẽs sunt capaces puncti dages, præter gutturales. Mart. Habet ne igitur raphe? Matth. Nequaquã ò bone. Sex enim hę literę tantũ sunt capaces uirgulę raphę nẽpe ב, beth, ג, gimel, ד, daleth, כ, caph, פ, pe, tau. Sexta litera est uau. Mar. Dicis'ne uau, an uaf? Matt. Vaf, quia u,

In fine est consonans. Scribitur autem sic, ו, & labijs pronunciatur, ualet autē u, consonans. Septima est zain. ualet autē idē quod z, latinū. scribitur uerò sic ז et est litera dentalis, eo quod lingua dentibus interposita pronuncietur. Octaua, Cheth, appellatur. ualet autem latine ch figuratur uerò sic ח, & est gutturalis. Nona dicitur teth. respondet t, latino, & sic depingitur ט, estq; lingualis. Decima, iod nominatur, ualet i, consonum. figuratur sic י, & est palatina. Vndecima, caph dicitur, & ualet c, latinum, ac rectius κ, græcum. depingitur autem כ, sic. Mart. Nihil autem, aut parum differre uidetur hæc litera caph כ, à litera beth ב. Matth. Imò multū. non ne uides beth scribi tribus lineis rectis sic ב: Caph uerò unica linea circunducta sic כ & est litera palatina. Mart. Es uerus. Matth. Caph cum dages כּ, ualet c. cum raphe uerò כֿ, ch. At quando est in fine dictionis mutat figuram sic ך, atque ualet ch. Duodecima, lamed nuncupatur. ualet autem l, nostrum. scribitur uero sic ל, & est lingualis. Mar. Hanc præter cæteras egregiè noui. Matth. Scio, quia collum habet gruinum, ut tu. Decimatertia, mem uocatur. ualet m, latinum. figuratur uero sic מ, & est labialis. In fine uerò mutat figuram sic ם. Decimaquarta, est nun. ualet n, nostrum. scribitur autem sic נ, in fine uerò sic ן, & est lingualis. Decimaquinta, est samech. respondet s, nostro. figuratur sic ס, & est litera dentalis. Martialis. Quomodo differt samech à mē finali? Matthæus. Mem finale est omnino quadratum sic ם samech uerò rotundum sic ס. Martialis. Refert propemodum o nostrum. Matth. Sic est. Decimasexta, hagin

appellatur

appellatur.idem ualet quod aleph.Martialis. Nihil igitur discriminis habet? Matthæus. Reuera utrunque gutturale: sed hagin in ima parte gutturis pronunciatur: Aleph uerò in suprema. scribitur autem sic ע. *Decima septima est pe. Idem quod p, latinum, si daghessatū fuerit. sin raphatum, idem quod ph. In principio autem & medio dictionis pingitur sic* פ *in fine uerò sic* ף *et ualet ph, et est labialis. Decima octaua est tsadi, et ualet ts. Figuratur autem in principio & medio dictionis sic* צ, *in fine uerò sic* ץ, *& est dentalis. Decima nona est coph, idem quod q, latinum, scribitur sic* ק, *& est palatina. Vicesima est res, ualet r, nostrum, figuratur uerò sic* ר. *Mart. Nihil uideo differre res à daleth. Matth. Ergo cæcutis. Daleth enim duabus lineis rectis scribitur hoc modo* ד, *res uero unica linea circunducta sic* ר *& est litera dentalis. Vicesimaprima est sin, ualet s, nostrum, ac scribitur sic* ש. *Mart. Quid si punctulum habeat in dextero cornu sic* שׁ, *Matt. Valet geminum ss: si uero in sinistro sic* שׂ, *ualet unicum s, & est dentalis. Vicesimasecunda ac postrema dicitur tau. Mart. Disyllabum ne an monosyllabum? Matt. Tau monosyllabum, ut uau. Cum puncto dages sic* תּ. *ualet t, cum raphe uero sic* תֿ, *ualet th. Nihil superesse iam arbitror, quod dici possit de literarum nominibus, aut potestatibus. Mar Mihi hac tua repetitione abunde satisfactū est, ut iam nihil desiderare possim, quod ad hanc rem spectet. Matt. Equidem pro uirili mea & quæ simul ambo audiuimus, & quæ ex priuatis meis studijs de literis hæbraicis deprompsi, omnia in hanc summam*

contuli. Martialis. Rogatus aliquando à me præceptor curnam in threnis siue lamentationibus Hieremiæ oēs decantarētur alphabeti literę, tempore passionis domini. Mat. Quid tum ille respondit? Mar. Hieremias, inquit, & Dauid, et Solomon, ac non nulli allij præclari authores in suis uersibus literarum ordinem seruarunt, ita ut primus uersus à prima litera initium sumeret: secundus à secunda; similiter tertius à tertia, & sic deinceps usq; ad tau postremam literam. Latinus autem interpres, qui non eundem ordinem, ac eandem simul sententiam seruare potuisset, singulis adiecit uersibus singulas literas, quibus cognoscere possimus authoris artificium, atq; industriam. Matth. At uideo sępenumero ter eandem literam esse repetitam in eodem authore, ut puta ter aleph aut beth. Mart. Fateor. tres enim simplices lamentationes scripsit Hieremias & unam triplicatam. Matt. Nescio quid per simplicem & triplicatam lamentationem intelligas. Mart. Simplicem uoco, ubi eadem litera non geminatur, triplicatam autem, quando tres uersus ab eadem incipiunt litera. Dauid enim quoq; psalmum Beati immaculatæ uiæ, inscriptum, octonis uersibus incipientibus, ab ijsdem literis distinguit. Nam octies singulæ alphabeti literæ sunt repetitæ: nempe aleph octies, totidem beth, usq; ad postremam literam tau. Hunc uerò psalmū octonarium Hieronymus nuncupauit. Idem author psalmum centesimum quadragesimum quintum, qui, Exaltabo te inscribitur, lateris alphabeti distinxit: Itoque non nullos alios psalmos eodem literarum ordnie prosecutus est. Matth. Quoniam non possumus sine apicibus, qui=

gunt. Nam ore clauso non poteris emittere hanc uocem a, quin potius o. Et collocatur hæc figura perpetuo sub litera. Mat. E regione huius longæ est prima breuium, quæ linea recta depingitur sic אַ & ualet a nostrum, siue alpha græcum. Mart. Vo catur autem pathach godol, idest pathach magnum. Mat. Quare pathach nun cupatur. Mar. Quia aperto ore legimus a, quod dictio hæc pathach nos satis docet: uenit enim à uerbo hoc פָּתַח quod aperuit significat. Collocatur autem sub litera. Mat. Secunda uocalis longa, duobus scribitur punctis sic אֵ pronunciatur per ei uel α græcè. Mart. Id tseri nuncupatur, uel cametz cathan, id est, paruum. Mat. Quare tseri Cametz paruum appellatur? Mar. Eo quod Cametz magni nonnunquam uices gerat. Collocatur autem semper sub litera. Matth. E regione huius uocalis longe tseri, colloco secundam, breuē, quę sic depingitur אֶ ualet autem idem quod e, nostrū, siue εψιλὸν grecū. Segol hanc uocant, uel pathach paruum. Mat. Cur pathach paruum? Mar. Quia pathach magni officio nonnunquam fungitur, & scribitur sub litera. Mat. Tertia uocalis longa, ualet i, siue ι græcum, & unico scribitur puncto sub litera sic אִ. Mat. Hanc chiric appellant sequente Iod. Mar. Cur na uocatur Chiric sequente Iod? Mat. nam Chiric quod non sequitur Iod litera, est ι, breue. Debet enim esse perpetuo post eam literam, sub qua est punctum Chiric, litera Iod sic אִי, si id longum fuerit. Sin breue, tum non sequitur Iod. Quarta uero uocalis longa, ualet ou, uel ου græcè. & figuratur unico puncto, quod eminet sinistræ parti.

literę sic א *Mart.Cholem hoc appellabat.Matt. Quomodo differt punctum cholem à puncto Chiric? Mart. Chiric imam partem literę occupat, Cholem uero supremam: è regione, cuius quarta est uocalis breuis, quę eu latine, uel ευ gręcè ualet. Depingitur autem sic* אֱ.*Mat. Catheph Cametz hoc nominabat, hoc est, Cametz raptum, siue correptum, aut elisum. Raptim enim legitur, ita ut Cametz non audiatur, sed illa duo tantum puncta, quæ paulopost uocauit seua, quę eu, sonant, ut fieri solet in diphthongis latinis, ubi posterior uocalis duntaxat legitur ueluti musæ disyllabum, & non musae trisyllabum. Itaque Cametz pręposititua uocalis non legitur, sed seua tantum. Etsi Itali & Hispani per o breue legere consueuerunt. At nos qui germanam pronunciationē à præceptore docemur, eu, legere malumus. Mart. Quīta ac postrema uocalis longa ualet u, Romanum, et est punctum unicum quod semper occupat uau literam. Scribitur autem sic* וּ *Surec siue melopon hoc uocare solent, propterea quod inflatis bucas pronunciatur: melopon enim os repletum significat. Matt. E regione huius collocatur postrema parte uocalis breuis, quæ tribus punctis depingitur, hoc modo* אֻ, *ac sonat u, gallicum. Mar. Cibbutz Sephatcim nun ... cupatur. Matt. Expone dictionem hanc, mihi incognitam. Mar. Nomen huius uocalis ponit discrimē inter u, Romanum, quod melopon uocatur, & inter u, gallicum, quod labiis contractis pronunciatur. id enim nobis hoc nomen hebræum significat. Mat. Nec uelim leuiter præterire ea, quę pręceptor tradidit de Surec, præter ea quę iam dicta sunt. Martialis*

bus uice uocalium utuntur hæbræi legere, uelim ex te audire ea, quæ dicta sunt de his à præceptore nostro, qui adeo tenaci memoria cuncta retines, ut ne uerbum quidem unum excidat. Martialis. *Rides me? qui iam mei nominis uix sim memor.* Demiror *haud dubie qui sine apicibus adeo prompte legunt.* Matthæus. Id *non rudibus concessum est.* Docti *enim duntaxat sic legere norunt, aut qui assiduitate exercitationis, & longo usu sibi hunc legendi modum compara- non punctatam aliquando consequi?* Matthęus. *Parunt.* Martialis. *Poterimus ne etiam nos lectionem illā radisus noster se facillime eam lectionem docturum pollicetur.* Mart. *Quo pacto?* Matt. *Regulis quibusdam breuibus, neque dubito quin longe plura, quàm pollicetur, is præstare possit.* Mart. *Nimirum hæc tua oratio me exanimatum animauit* Mat. *Interea erecto animo repetamus ea, quæ simul didicimus de lectiome punctata.* Mart. *Cur quæso, grammatici uocales motiones appellare solent?* Mat. *Hanc totam uocalis uim ipso uocabulo exponunt? mouetur enim consonans per uocalem, quæ alioqui ociosa, atque quieta est.* Mar. *Intelligo. nam eadem ratione literam non punctatam quiescentem nominant.* Mat. *Hęc dictio mouetur, idem nobis posthac significabit, quod legitur: hoc uocabulum quiescit, idem quod non legitur.* Mar. *Quotnam sunt motiones siue uocales?* Mat. Duodecim. Mart. *Sunt ne longæ ac breues uocales hæbręę, sicut latinæ & grææ?* Mat. *Quidni? profecto non secus quam græcis sunt uocales natura longæ, & aliæ natura breues. Sed hæbræi duas habent uocales,*

quas breuissimas uocant. Mart. *Producuntur ne positio ne breues, ut latinæ?* Mat. *Nequaq. sed alia ratione producuntur breues, ut si præcedat breuis gutturalem literá, tum producatur: longa uerò multis modis corripitur.* Mar. *Quotnam sunt breues? quot longæ?* Matth. *Quinque sanè longæ sunt, & quinque breues.* Martialis. *Dispone quæso longas uocales, ita ut semper suas cognatas breues è regione habeant.* Mat. *Scio equidem, quæ figuræ longæ sint, & quæ breues, sed earum nomina & etymologiam ignoro.* Mart. *Ego tibi, quo ad hanc partem spectat, adero: ubi enim dixeris figuræ quantitatem, nomen & etymologiam adijciam: neque prætermittam quod hę brę i longas magnas, & breues paruas appellare solent.* Mat. *Hoc mihi neque externum neque peregrinum esse uidetur. Græci enim, ω, longum, ω, μέγα. i.o, magnum: & , ο, breue, o, μικρόν .i.o paruum uocare consueuerunt.* Mart. *Recita nunc uocalium ordinem eo modo, quo præceptor docuit.* Mat. *Ne me igitur mi Martialis deseras in earundem referendis nominibus.* Mart. *Quid uis per fiam, at ingredere negotium tu prior.* Mat. *Volo equidem. Erige animum. Prima uocalis depingitur linea recta, & apice subscripto, ut cernis in hac litera Aleph* אָ *que o Magnum siue longum sonat, cui respondet græcum ω, μέγα.* Mar. *Cametz godol appellatur, hoc est Cametz magnum.* Matt. *Quid significat Cametz?* Mar. *Colligere atque ac cumulare significare uidetur, quia collecto ore & clauso, o pronunciamus. Quanuis Itali & Hispani Iudæi per a obscurum proferre soleant. Germani tamen, qui ratione etymologiæ nituntur, per o le-*


Quidnam eſt? Matt. Si ſurec fuerit in principio alicuius dictionis ante labiales literas, quæ continentur in hac dictione artis בומף *quanuis nulla litera conſonans quanuis nulla litera conſonans illud præcedat, nihilominus per u,* Romanum *legitur, quę res nulli literę hæbraicæ contingit.* Mart. *depingamus modo paradigma ſiue figuram eorum, quæ de longis & breuibus diſſeruimus.* Matthæ. *Non intelligo quid depingi uelis.* Mart. *Eum ordinem dico, quo uocalis breuis ſit collocata è regione uocalis longę, nomine quoq; uocalis ſubiecto.* Matth. *Animaduerte igitur an talem deſideres figuram, qualem nunc tibi depingam.* mart. *Perge.* Mat. *quæ nomen uocalis, inquam, habeat in prima ſerie. in ſecunda autem, figuram uocalis. in tertia uerò poteſtatem, ſiue ualorem uocalis, hoc modo.*

Longæ.			*Breues.*		
Cametz,	אָ	o,	*Pathach,*	אַ	*a,*
T*ſeri,*	אֵ	*ei,*	*Segol,*	אֶ	*e,*
Chiric,	אִי	*i,*	*Chiric,*	אִ	*i,*
Cholē,	אֹ	*ou,*	*Catheph cametz,*	אֳ	*eu,*
Surec,	אוּ	*u,*	*Cibutz,*	אֻ	*u.*

Mar. *Quàm rectiſs.* Nullus *eſt.n. adeo rudis aut īgenio hebes, qui ex hac tua figura, q̄ ob oculos ponis, nō facile oīa hęc cōprehēdat.* Mat. *Pręter hęc pūcta ſunt duo, quę correpta hębraicè chatephī appellantur: et ſunt breuiſſima. Cōponuntur aūt ex duabus prioribus correptis uocalibus.* Mar. *Quænā ſunt hæ duæ uocales breues?* Matth.

Pathach, & segol, si cum duobus punctis his, אְ, quę seua uocantur, et leguntur per eu, componantur, breuissima tunc habentur. Martialis. Prebe mihi exemplar huius compositionis. Matthæus. Sic אֲ. Martialis. Quonam pacto legitur pathach, cũ seua? Matthæus. Per eu. Pari modo segol, cum seua, legitur per, eu. Hispani tamen & Itali utrunque per a, legunt. Martialis. Sunt'ne omnes literę huiusmodi punctorum breuissimorum capaces? Matthęus. Non. sed. quatuor solum gutturales, quæ in hoc symbolo continentur אֲהֲחֲע At cametz raptum quod inter breues uocales ֳ numeratur, omnes literas afficere potest. Mart. Seua. quare non inter uocales numeratur? Matthæus Quia non est uocalis. Martialis. Quid igitur? Matthæus. Vocalium minister. Non enim habet propriam aut peculiarem uocem, sed uarias ac diuersas uoces obtinet, habita ratione præcedentium & sequentium literarum. Martialis Sępissimè etiã seua, non legitur. At nescio quibus in locis legi debeat, quibus non. Matthæus. Ego nunc in promptu nõ habeo, quibus in locis legatur, quibus non. Martialis. Hoc igitur ex me cognosce. Matthæus. Enarra. Martialis. post uocalem longam perpetuo legitur, post breuem uerò, minime. Matthęus. Quid si geminatum esset? Martialis. In Principio dictionis nusquam reperitur geminatum. Matthæus. Quid si in medio dictionis? Martialis. Tum prius non legeretur, sed posterius tantũ, ut יִפְקְדוּ Iiphcedu, & non iiphecedu. in fine uerò neutrum legeretur, ut יַפְתְּ Iapht, & non Iaphte. Vnicam autem in principio ְ dictionis semper legitur, paucis exce-

ptis. Matthæus. Quid si præcedat gutturalem literam?
Mart. Tum legitur ut illud punctum, quod erit in litera gutturali, ut מְאֹד mood, & non meod. Matthæus. Si præcedat literam iod, quo pacto legendū erit?
Martialis. per, i, quamuis iod, habuerit aliud punctum, præter chiric, ut בִּיַּד biiad, & non beiad. Matth. Hæbræi, qui in Thiberiade prouincia degunt, quorū prolatio omnium est (Hæbræorum) altissima, sic proferre cōsueuerunt. Mar. De seua iam nihil superest, quod te urgeat, ubi legat, aut ubi elidatur. At quo nihil quod ad lectionem & prolationem attinet prætermittamus: repetenda erunt ea, quę de omnium literarum pronunciatione diciamus. Matth. Quinque distinguntur legendi instrumentis, prolationes literarum. Mar. Quænam sunt instrumenta ea quæ dicis? Matth. Guttur scilicet, lingua, palatum, dentes, & labia. Mar. Quot literæ gutture pronunciantur? Matth. Quatuor, quas hæc artis dictio continet אֲהַחַע Ahechaa. In quarum prolatione lingua contrahenda est ad guttur. Sed magis in una litera, quam in alia, ita ut ex pronunciantis præceptoris uoce uiua, percipi potest. Idcirco gutturales appellantur. Mar. Quot proferuntur lingua? Matthæus. Quinque, quarum symbolum est דַּטְלְנַת Datlenath, quæ dicuntur linguales. Martialis. Quando literæ omnes lingua proferuntur, cur igitur tantummodo has quinque linguales dicit? Matth. Quia in earum prolatione lingua dentibus interposita, paululum dentes excedit, quod facile experiri poteris. Ideo tantum has linguales appellat. Item quatuor palato enunciantur, quæ



hoc uocabulo comprehenduntur גִּיכַק gbichac. Quia lingua ad palatum erecta pro nunciantur, lite ræ palatinæ nuncupantur. Rursus quinque aliæ dentibus pronunciantur, quarū artis dictio est זַסְשֶׁרְץ Zasseratz, dentibus, inquam, strictis, à quorum stridore dentales dicuntur. Quatuor reliquæ, quæ in hac dictione continentur בּוּמַף bumaph, labiorum collisione pronunciantur, idarco labiales dictæ sunt. Mart. Quid prodest nobis cognitio harum prolationum? Aut qui potero periculū facere quàm uera sit necne? Matt. Non parum prolationis scientia harum literarum ad hæbraicarum disciplinarum intelligentiam conducit. Nam literæ quæ eiusdem sunt prolationis, nempe quæ eodem instrumento pronunciantur, cognatæ nuncupantur: atq; una in aliam plerunq; mutatur. Quæ autem de prolationibus dicta sunt, poteris experiri esse uera, si unicuiq; literę præponas hanc uocem, a, uerbi caussa, si uelis periculum facere an, בּ, beth, sit labialis, præpone a, & erit אַב. ab. Et sic ante gimel אַג, ag. ante daleth אַד ad. Matth. Præterea dixit duas esse literas, quæ ad ueram pronunciationem, narium adminiculo egent. Mat. Quas? Mar. Mem, & nun, fac periculum pressis narribus. Matth. Si quando mihi occurat litera non punctata in aliqua dictione, qui legam? Mar. Non legas. Matthęus. Est igitur superflua? Mart. Nequaquam, sed quiescit, interdum litera, alia atq; alia ratione, quam nondum exacte nosti, sed non uacat, sufficiat nobis modo legere quæ punctata sunt. Matthęus.

ſingulę literę denarium numerum ſignificant. Rurſum *à* ק*, coph, uſq; ad* ת*, tau, literæ ſingulæ centenarium ſignificant.* Mart. *Cum à* ק*, coph, uſq; ad* ת*, tau, quatuor duntaxat ſint literę, uidelicet* ק*, coph,* ר*, res,* ש*, ſin* ת *tau. qui igitur uno charactere quingentos numerare poteris? & ſic deinceps uſq; ad mille?* Matt. *Sanè recte interrogaſti.* Propter hoc *enī inuentę ſunt finales literæ, quo oēs numeros unico charactere exprimi poſſint ad mille uſq;.* Martialis. Quonammodo *doce.* Matt. Animaduerte. C*aph finale* ך*, quingentos. mem,* ם*, ſexcentos:* Num, ן*, ſeptingentos.* Pe ף*,* O*ctingentos.* T*ſadi,* ץ*, nongentos ſignificat.* Martialis. Millenarium *igitur una figura ſcribere non poteris, cum nullo alia ſit in alphabeto litera.* Matth. A*b aleph rurſus incipiendum erit.* Martialis. Quid *tum diſcriminis erit inter aleph, ſi unitatem ſignificet, aut ſi millenariū repreſentet?* Matt. Aleph *ſi millenarium ualeat, tum duobus quibuſdam punctis notatur,* א̈, Martialis. Depingamus *hęc quæſo, atq; ob oculos ponamus figura aliqua, ſubſcriptis numeris latinis, quem admodum de literis, & uocalibus fecamus.* Matthæus. Diſtinguamus *ergo hanc figuram per nouem claſſes.* Martialis. Curnam *mauis per nouem diuidere, quàm decem?* Matthęus. Quia *nouenarius ter ex alphabeti figuris recurrit.* Ter *enim nouem ad ſummam uiginti ſeptem conſcendunt.* Tot *autem in alphabeto ſunt characteres.* Martialis. Ita *eſt, ſed finalibus computatis.* Matthæus Fateor. Nouem *autem primæ claſſes, unitates ſignificant, hoc modo.*

9 8 7 6 5 4 3 2 1
א ב ג ד ה ו ז ח ט

Rursum nouem alię classes, denarios significant, ut hic uidere est.

90 80 70 60 50 40 30 20 10
י כ ל מ נ ס ע פ צ

Nouem denique postremæ classes, centenarios significāt.

900 800 700 600 500 400 300 200 100
ת ר ש ת ך ם ן ף ץ

Literę autem illæ punctate millenariorum sunt characteres. Hæc omnia gręci suis characteribus. Latini uero Siffris exprimunt. Mar. *Hæc dictio Siffra hębræa mihi uidetur esse.* Matthæus. Probè. Nam deriuatur à *uerbo tiomi,* סִפֵּר *Sipper, quod numerare significat.* Martialis De *orationis partibus & constructione, de pronunciandi ratione, de accentibus atque tropis disserere non ualemus, quod ea nondum attigerit pręceptor.* Mat. *At ubi omnia quæ dicis attigerit, pari modo repetemus, ut non solum nos euadamus* Hebręi, *sed etiā hi, qui nos uiua disputantes uoce audierint.* Mart. Non *te deseram.* Mat. Vale mi Martialis *in crastinū.* Mar. עָלֶךָ שָׁלוֹם *ha lècha solom.* Mat. *nescio certe an aliquid mihi sinistri imprecæris, an saluere iubeas.* Mar. *Hunc modum resalutandi me docuit pręceptor, sed ne quicquam suspicæris mali, latinis te uerbis posthac resalutabo.* Mat. *Sed iam me hæc hora alio uocat.* Mar. *Tu igitur uale in mille annos.*

FINIS.

Quiescunt'ne omnes literæ? Martialis Non omnes. Matthæus. *Quot igitur?* Mart. *Quatuor tantum.* Mat. *Quæ?* Martialis. *Istæ, quę in hoc uocabulo continentur* אהוי Iehu. *Quatuor has Caballistæ præferunt cæteris literis omnibus.* Mat. *Quidnam prerogatiuæ habent?* Mart. *Primum quod magnum nomen dei quadratum, i, tetragrammaton ex parte his literis scribatur, Secundo quòd in numeris comprehendant uigintiduas literas.* Matthæus. Hoc *sanè non intelligo.* Mar. *Ignoras hæbręos suis characteribus more gręco numerare? aleph, prima litera unum ualet in numeratione. he, uero quinta litera, quinque: rursus uau, sexta, sex &* Iod, *decima litera, decem.* Hac *ratione quatuor hæ literę conscendunt ad summam omnium literarum.* Math. *Fateor me hoc tibi debere. Ignorabam enim hoc prorsus mysteriū. At scis cur cędē literę spiritales dicātur?* Mar. *Scio. Quia longo spiritu, litera, quæ unā ex his quatuor præcedit, legitur.* Mat. *Quomodo autem quiescant, ignoro.* Mar. Non *leguntur neq; proferuntur instrumento aliquo prędictarum prælectionum.* Mat. *Quiescunt'ne ubiq;?* Mar. Ne*quaquā, in principio enim dictionis nunquā litera quiescit.* Mat. Vbi *igitur?* Mar. *In medio & in fine.* Mat. *Omnes'ne?* Mar. Non, *sed treis earum in medio & in fine sine discrimine quiescunt.* Matthæus *Quæ?* Martialis. *Aleph,* Vau, *&* Iod. He, *uerò litera in fine tantum quiescit.* Mat. *Memini me audire à præceptore, quod semper una literarum quæ in symbolo* אוי Eui, *continentur, lateret post, uocalem longam. sed grammatici, quiescens,*

occultum uocare solent. Mar. Cur ita? Mat. Quia quamuis non scribatur post Cametz longum aleph, intelligitur tamen. Itaq; post Cholem et surec, Vau, post Chiric autem & tseri intelligitur iod. Idarco paululum immorandum erit, in earum lectione. Mar. Hactenus de literis, & apicibus audita recitauimus, quo ad lectionem attinet modo superest rationem reddere quinq; literarum finalium, quę mihi prorsus inutiles uidentur. Matt. Inuentio, atq; finalium literarum excogitatio, ut est necessaria, ita haud dubiè est erudita. Mar. Optarem ut rationem tuae orationis redderes. Matthaeus. Sine modo ut perficiam, nec toties meum interrumpas sermonem. Mar. Cum silentio te libenter audiam perge. Matthęus. Quia haebraei suis characteribus ut graeci numerant. Mart. Clarius loquere. Non enim planè intelligo. Mat. Scis arithmeticam? Mart. Scio, sed non haebraicam Mat. Vulgarē dico. Mar. Noui quidē expensum ad calculū reuocare, atq; sparsā colligere, sed non noui artem diuidendi. Matthaeus. Teipsum igitur collige. ac noli tua loquacitate meas aures obtundere. Mart. Festina igitur, nec sis adeo prolixus. Matth. Haebraei hoc in arithmetica uitio dant, quod uno charactere non potest describi denarius numerus: docti enim sumus à natura numerare usq; ad denarium numerum, distinctis manuum & pedum digitis. Vbi autem supra decem numerāda sunt, rursum ab unitate numerare īcipimus. Martialis. Obseruarunt'ne quoq; Haebraei illam numerandi facultatem? Matth. Maxime. Vnaqueq; enim literarum usq; ad י, iod, unitatem significat: & à י, iod, usq; ad כ, caph,

iod hoi

Venetijs apud Ioan. Ant. de Nicolinis de Sabio sumptu
& requisitione. D. Melchioris Sessæ Anno
domini M D X X X I I I I.
Mensis Iulij.


gatta matta
DISSIMILIVM·INFIDA·SOCIETAS.

